



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118022**

§. 41. Judæi ex Francia expulsi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66394)

centes jactas, dicunt Judæi, cur vero Christiani illo potius quam alio tempore Judæos latrones accusassent, nisi aliquod argumentum suppetiisset?

Sæcul. XII.  
A.C. 1182.

Cardoso  
excell.  
calomm. 10.

§. XLI.

*Judæi ex Francia expulsi.*

Præterea Regis Philippi animum in Judæos exarcebat, quod cum ab antiquissimo tempore Lutetiam incolerent, & ibidem eorum Magistri doctrinæ laude præ ceteris flourerent, tantas opes congefissent, ut prope mediam civitatis partem jure proprietatis tenerent. Quod contemtis legibus civilibus & ecclesiasticis haberent domi suæ mancipia Christiana utriusque sexus, quæ ad judæicos Ritus servandos compellebant. Quod usuras enormes exigerent a Christianis Nobilibus, Civibus, agricolis, quorum aliqui patrimonium vendere, alii in domibus Judæorum captivi & juramento adstricti manere cogentur. Quod, si necessitate Ecclesias premente, pecuniæ mutuæ ab ipsis peterentur, pignoris jure acciperent Imagines Crucifixi, & Vasa Sacra, quæ profanabant, ex iis bibebant, aut in angulis domus spurcissimis reponebant. Rex de hoc negotio quemdam Eremicolam, nomine Bernardum, in silva Vincenniana degentem, ac ab omnibus pro viro sancto

Rigord. p. 8.



Sæcul. XII.  
A.C. 1182.

*Guil. Armo.*  
p. 72.

*Auff. Aquicind. an.*  
1183.

habitum, interrogavit, ejusque amplexus consilium, omnes Christianos ab are alieno, quo Judæis obstringebantur, liberavit, quinta parte sibi servata. Tandem vero mense Aprili, anno millesimo centesimo octogesimo secundo, Rex edito mandato Judæis denunciavit; ita rebus suis consulerent, ut ad Festum S. Joannis ad migrandum e regno suo parati essent. Hasque inducias dabat, quibus interim res suas mobiles venderent, nam eorum domos, agros ceteraque bona immobilia suo ærario addixit. Aliqui Judæorum, baptizari se passi, bona sua & libertatem obtinuerunt, alii tum donis tum promissis Præsules & Optimates sibi conciliarunt, quod sperarent, ipsorum precibus Regem daturum esse, ut Decretum retractaret. Sed Rege proposito constanter in hærente, Judæi, rebus suis mobilibus venditis, mense Julio ejusdem anni millesimi centesimi octogesimo secundi cum uxoribus suis, & liberis & servulis e Regno migrarunt. Anno sequente, jubente Rege, omnes Judæorum Synagogæ Catholico ritu consecratæ in Ecclesias conversæ sunt, universi Regni populis Philippi clementiam summis laudibus extolentibus.

Sub initium ejusdem anni millesimi centesimi octogesimo tertii, cum Guilielmus



mus Archiepiscopus Remensis & Philip. Sæcul. XII.  
 pus Comes Flandriæ Attrebatî arcana A.C. 1182.  
 tractarent negotia, quædam mulier ex  
 ditione Comitis multos Hæreticos Pa-  
 tarinos id est Manichæos detulit, qui  
 propria confessione convicti fuerunt,  
 quod Doctrinam impurissimam tenerent.  
 Erant vero Clerici, Nobiles, ruricolæ,  
 puellæ, mulieres maritum habentes, &  
 viduæ, omnes ab Archiepiscopo & Co-  
 mite, bonis ærario Principis addictis, ad  
 ignem damnati.

## §. XLII.

*Latini Constantinopoli trucidati.*

Manuel Comnenus Imperator propen-  
 so in Latinos animo iis solis majo-  
 ris momenti negotia committebat, quod  
 Græcis fideliores & in perficiendis man-  
 datis magis strenuos expertus fuisset.  
 Cumque in eos esset munificentissimus,  
 undique ad Manuelis Curiam conflue-  
 bant. Sed idipsum Græci & in primis  
 Nobiles ac Imperatorem sanguine con-  
 tingentes furiose indignabantur, inde-  
 que diu ante conceptum in Latinos o-  
 dium acuebatur. Iram quoque accen-  
 debant diversæ circa quæstiones de Re-  
 ligione opiniones, & Græci Ecclesiæ Ro-  
 manæ auctoritati cedere recusantes, o-  
 mnes illos, qui ab ipsorum traditioni-  
 bus abirent, Hæreticos existimabant.

*Guil. Tyrie.  
 XXII. c. 10.*